

940. 1561, AUGUSTUS 22. — Pius IV vermaant prins Willem van Oranje ¹⁾ een einde te maken aan het brutaal optreden der ketters in de stad en het prinsdom Oranje, waardoor ook het naburige Venaisin wordt bedreigd.

Dilecto filio, nobili viro, Guilielmo de Nassau, principi Auryacensi.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem *etc.*

Quanto christianae reipublicae luctu atque incommodo quantaque orthodoxae fidei perturbatione factum sit, quod christiani nominis principes, pululantibus et paulatim obrepentibus hereticorum zizaniis ac venenis, initio sollicite et diligenter non occurrerint, nemo est fere qui nesciat. Quam ob rem cum nuper ad nos magna quidem cum amini nostri molestia allatum sit, homines tuae civitatis Auraycensis, juxta fines comitatus nostri Venayssini positae, impiorum quorundam audacia et falsis persuasionibus seductos, quod tuorum quoque inibi ministrorum indiligentia fieri credibile est, a debita Catholicae ecclesiae obedientia palam jam recessisse damnatumque haereticorum in vivendo morem passim sectari, Nobilitatem Tuam his nostris litteris paterne monendam et in Domino requirendam duximus, ut, quoniam ipse longe ab eadem tua civitate abes, pro boni et Catholici principis officio statim, nulla interposita mora, ad hoc malum levandum atque sanandum ea remedia mittere afferreque cures, quae tibi ad id maxime oportuna ac necessaria esse videbuntur, petimusque a te vehementer et ex animo, ut ita provideas et efficias, ut tui Auraycenses subditi tum pro Dei optimi maximi honore, ejus causa in primis agitur, tum vero pro animarum suarum salute, ad sacrosanctae orthodoxaeque Ecclesiae gremium quam primum revertantur, et deinceps Catholice viventes, tibi Catholico principi, sicuti debent, serviant et obediant. Quod quo celerius et diligentius ab eadem Nobilitate Tua pro sua eximia pietate factum fuerit, et majus et uberius divinae gratiae et retributionis aeternae praemium te consecuturum confidimus, nos vero tibi maximas eo nomine gratias habituros et in occasionibus quoque relaturos esse pollicemur. Datum Romae apud sanctum Petrum *etc.*, die 22 Augusti 1561, anno secundo.

Archivalia I, n^o. 551.

1) Zijn antwoord aan den paus, d.d. 16 Nov. 1561, bij Groen, *Archives* I, p. 119, n^o. 39.